

viuere, & venenosum & mortiferū Mundo animal Romæ ali: Mirum quod eum viuere diutiùs passus est. Sed puto sic recens quod CHRISTI mors, & sanguis innocuus exigebat, sic humanum merebatur genus, vt scelestum Imperium ferus & inhumanus Princeps exciperet, ipse quidem Tiberius dignus erat talem & prouidere, & habere suæ mortis auctorem: Nam de eo minus miror, quod Galbam quem præuiderat rerum potiturum, sub annis puerilibus non sustulit: Neque enim dissimulauit causam, quo ille tunc puer in extrema demum ætate peruenturus esset ad Imperium. Itaque uiuat sanè, inquit, quando id ad nos nihil pertinet: Et Caij quidem fructus ex ipsis floribus potuit conicere: at Galbæ Principatus quibus coniecturis, vel ipse, vel Augustus simile enim & de ipso scribi uideatur tam longè præuiderat? non vacat res miraculo, nisi quia vt id Cæsaribus infitum quodammodo credatur, Vespasianus effecit, quem mox attingam, si ordinis non deserendi gratia, vnū prius adiecero.

DOMITIUS NERO.

Domitius, Neronis Mundo pestilēs & damnosus pater, natum sibi filium